



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qualitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

408. An, & qualiter Canonici dictique alii ratione studiorum excusentur à residentia, lucrenturque fructus, & distributiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

lucrandas habere locum. Vide etiam Pirh. *loc. cit. n. 86.* ubi etiam ex Castrop. *loc. cit. n. 5.* ait: probabile esse, eum infirmum, qui etiam dum sanus erat, non solēbat interesse divinis, lucrari adhuc tempore infirmitatis etiam distributiones. Et *nu. 88.* dat disparitatem, quare potius, qui suā culpā incidit in infirmitatem, percipiat adhuc distributiones, & non, qui ob culpam suam est incarceratus.

Questio 408. An, & qualiter Canonici dictique alii ratione studiorum excusentur à residentiā, lucentur fructus & distributiones?

Respondeo primò: quoad Canonicos aliāque beneficia non curata residentiā requirentia, habentes privilegia dicta superius abessendi, & in absentia percipiendi fructus manent incorreeta, & non derogata. *Garc. cit. p. 3. c. 2. num. 88.* cum communi. Hoc tamen privilegium locum non habet, etiam in simplicibus beneficiis residentiā requirentibus ex fundatione, seu institutione, quia non censetur derogatum fundationi, nisi expressè ei derogetur, & de ea fiat specialis mentio. *Garc. n. 111.* quem etiam vide *p. 4. c. 3. num. 73. & p. 7. c. 1. n. 118.* Ubinam autem, quibus studiis vacare debeant, ut dictis privilegiis fruantur, vide dicta supra de curatis quoad hoc punctum. Quibus adde ex Pirh. *n. 37.* quòd non sufficiat tales morari in loco, ubi studia vigent, si ibi solum aliis rebus vacent; potando, saltando, vel etiam ut linguam peregrinam discant; sed requiritur, ut ipsi se in studiis exercent, ut docet etiam *Abb. in c. fin. de Magistr. n. 6.* item *Paxjard. loc. cit. n. 142. & seq.* ubi: quòd nisi cum debita diligentia studiis competentibus incumbant, teneantur ad restitutionem fructuum in tali absentia perceptorum, pro quo citat AA. quamplurimos, qui tamen *num. 144.* ait: hæc accipienda cum moderatione, cum impossibile sit, semper incumbere studiis, sed satis sit id facere congruis temporibus, & majore anni parte, & hinc concedi valetudinis causa vacantias. Unde etiam *Moneta de distrib. q. 10. n. 19.* *Barb. alleg. 56. n. 25.* apud *Paxjard. ibid.* docent; non amitti illud privilegium, & censeri istos adhuc esse in scholis, si quandoque aliò ad breve tempus divertant statim reverturi. Et hæc quoad dictum privilegium percipiendi in absentia fructus; nam alia privilegia scholarium non auferuntur regulariter otiosis, & non studentibus, de quo vide pulchra *ibid.* apud *Paxjard. n. 145. & seq.* &c. similiter docet *Paxjard. loc. cit. n. 138.* ex *Garcia n. 117.* citante desuper S. Congregationis declarat. quòd scholares seu studentes in Ecclesiis cathedralibus non gaudeant iisdem privilegiis quoad percipiendos fructus in absentia, sicut studentes in studiis publicis, vel academiis, adeòque non sufficere studere apud scholasticum in cathedralibus aut collegiatis, & hujusmodi. citatque pro hoc *Monetam de distrib. q. 10. num. 17.* *Barb. ubi ante num. 21.* *Zechum &c.*

2. Videtur hodie quod requiritur etiam in his ad abessendam ratione studii licentia superioris, seu Prælati. (cum autem quis habere possit plures ordinariorum, illius erit dare licentiam, in cujus diocesi est beneficium, inquit *Paxjard. l. 10. tit. 40. n. 131.* & quod Episcopus hanc licentiam concedere possit, nec antiq̄a jura in hoc censentur correctā, nisi quoad Parochos & curatos, testantur cum commu-

ni *Rebuff. de privileg. scholar. privileg. 29. & 31.* *Horat. Lucius in eod. tr. privileg. 99.* *Garc. nu. 45. & 85.* *Barb. & alii apud Paxjard.*) cum requiratur inspectio ætatis, & num sit aptus, aliorumque de quibus supra juxta declarat. S. Congreg. *Garc. n. 87.* *Zerola v. studium,* dicens ita decrevisse Pium IV. in sua Bulla. *Zechus &c.* vide etiam *Pirh. loc. cit. nu. 36.* ubi tamen notabili primo videtur excipere studium Theologiæ & juris Canonici. Tenetur autem Ordinarius dare licentiam absentia ratione studiorum, modò in petito concurrant ætas & alia requisita, de quibus supra, aliàs poterit appellari, & recurri ad superiorem. *Pirh. ibid. Garc. n. 86.* citans *Abbat. Sely. Zerol. &c.* cum enim in istis adhuc, ut dictum, in robore suo maneat privilegium illud, ista licentia ab Ordinario danda non est gratia, sed justitia, & necessitatis, nisi aliqua causa & ratio legitima obstet. *Garc. ibid.* unde etiam praxin danda hujus licentia dicit *Paxjard. n. 167.* ex *Zerol. v. studium,* ut personaliter se præsentent Ordinario, ut hic ex aspectu breviq̄ examine arbitretur, num in fraudem id petatur, & certioretur de ætate, conjectetque de idoneitate, & moneat de satisfaciendo conscientia, conferendo se ad loca studiorum generalium, ibique actu & reipsa operam dando Theologiæ vel juri Canonico; sed nec omnibus habilibus dandam istam licentiam, ne dum pluribus datur, Ecclesia defraudetur debito servitio, uti contingit, ubi numerus Canonicorum est exiguus, docet cum *Zerola v. studium. Paxjard. n. 135.* Porro non potest Episcopus etiam cum talibus ratione studiorum dispensare, & dare licentiam ad septennium, sed solum ad quinquennium, juxta declarationem S. Congregat. dicentem: *licentia, ut aliquis possit abesse causa studiorum à servitio sua Ecclesie, vel sui Canonicius, non suffragatur ultra quinquennium &c.* *Garc. n. 101.* contra *Zerolam v. studium,* & *Zechum de republ. Eccl. tr. de cler. n. 7.* docentes pro studio Theologiæ posse Ordinarium arbitrari tempus, & dare licentiam ad septennium, nimirum ut triennium in Philosophia, & quadriennium in Theologia, quo ista studia consumantur, ponat; declarationem verò sacra Congregationis, quam *Garc. adducit n. 8.* intelligendam de ætatis, de Ecclesia parochiali, & eam, qua modo recitata est, intelligendam de studio juris, quod ipsum ait *Garcias* esse divinare, præterquam quod illa citata *n. 81.* loquatur etiam de Canonicis. Censet insuper *Garc. nu. 103.* non posse Episcopum concedere licentiam ad studium Philosophiæ in ordine ad transeundum ad Theologiam, cum dicta declarationes, & *c. fin. de Magistr.* loquantur de ipsa Theologia (salvo semper studio juris Canonici, de quo supra) multòque minùs ad studendum in aliis scientiis, nisi adit speciale aliud privilegium concessum personæ, vel Universitati alicui, quale dicit esse in Universitate Salmanticæ. & qualiter multa studia generaliter esse privilegiata, ut Scholares in quacunque honesta & licita facultate studentes, fructus suorum beneficiorum Eccles. participant, etiam si dignitates, personatus, plebania, & sacerdotes sint, aliq̄ue specialiter prohibiti, ac specialiter studium Romanum quoad studentes in utroque jure docet *Paxjard. n. 150.*

3. Respondeo secundò: absentes ratione studiorum non lucrantur quotidianas distributiones. *licet de prebend. Gl. in c. fin. de magistr. v. integrè. Garc. n. 112.* *Covar. variar. resolut. l. 3. c. 13. n. 2.* *Hojed. de incomp. c. 12. n. 8.* *Fuscus de visitat. l. 2.*

c. 15. n. 12. Gonz. §. 7. *proem. n. 178. Zach. &c.* apud Garciam. Proceditque idipsum, etiam si licentia studendi obtenta à Papa; sic enim habet S. Congregatio super *cit. c. 3. sess. 21. Trid. absentia causa studiorum, etiam obtenta à sede Apostolica, non excusatur ab amissione illius tertie partis detractæ* (nimirum ex fructibus ipsis Canonicatum, & præbendarum, & conversæ in præsentias, seu distributiones quotidianas) *sicut nec excusatur ab amissione cæterarum distributionum quotidianarum &c.* Quod si tamen Canonicatus consistit in meris distributionibus, eas omnes lucrabitur absens studiorum gratiâ *Gl. in cit. c. licet, ibid. Abb, aliique DD. Garc. n. 113. citans pro hac sententia n. 115. Rebuff. Horat. Lucr. Zerol. Didac. Perez. &c.* quamvis ipse addat *n. 116. in contrarium, nimirum quod in isto casu non lucrentur omnes distributiones, sed amittant tertiam partem, ut declaratio S. Congregat. idem docet Paxjard, loc. cit. num. 161. qui etiam num. 163. idem ait esse, nimirum deberi distributiones omnes, demptâ istâ tertia parte, si præbendæ admodum tenues sunt, & ferè omnes fructus consistant in distributionibus. citatque pro hoc Riccium in *praxi fori Eccl. resol. 70. num. 3. & Barb. de canon. c. 27. n. 53. vide dicta in quæst. ante hanc penult.* Nequaquam verò in dictis casibus, ubi nimirum, fructibus omnibus consistentibus in distributionibus quotidianis, has participant studentes, participabunt distributiones pro missis votivis, anniversariis pro defunctis & ceteris incertis. Paxjard. *loc. cit. n. 162. citans Piacet, in praxi p. 2. c. 3. n. 9. Garc. in addit. ad cit. p. 3. c. 2. n. 253. Barbofam ubi ante: Plures casus, in quibus studentes distributiones participant, vel non. vide apud Vivian. in praxi jurispatron. p. 3. l. 15. c. 3. à n. 127. quem citat Paxjard. n. 165. Porro quandonam & in ordine ad quos effectus distributiones veniant nomine fructuum, vide apud C. de Luca de *jurepatron. d. 10. n. 8. & seq.***

Quæstio 409. An data licentia abessendi ratione studiorum expirat, & terminetur per affectionem doctoratus, dum de cetero nondum elapsus est terminus, ad quem concessa?

Respondeo negativè. C. de Luca. *de can. d. 13. ferè per totum. ex Gemin. in c. cum ex eo. de elect. in 6.* nam dum indulgetur simpliciter abesse v. g. per quinquennium, ut studeat quis, hanc conditionem studendi non implicat impleri, etiam post doctoratum, cum sicut iustus fieri potest justior, ita doctus doctior, ut Gemin. quin magis post doctoratum studendum esset exemplo Bartol. & aliorum. C. de Luca. *ibid. n. 4. præsertim, cum licet plurimum sententia sit, doctoratum non scholaribus mediocri, sed eminentis, & maturæ doctrinæ, qui jam alios docere valeant, conferendum esse, communior tamen opinio sit, sufficere doctrinam mediocrem cum probabili spe, quod studendo quis profecturus sit; ut Innoc. in c. in cunctis. de elect. in 6to. & comprobatur praxis totius orbis, præsertim Italiæ, ubi etiam attento rigore, non negatur doctoratus iis, qui ordinarium cursum studiorum impleverunt, & frequentius confertur etiam iis, qui neque studia initiarunt, adeo ut videatur potius quædam introductio ad studia præsertim practica, & forensia, quæ magis hodie proficiunt pro sine seu effectu juxta dictum illud: *leges**

in scholis deglutuntur, in palatiis, & tribunalibus digeruntur. C. de Luca *nu. 5. jam verò si indultum, ubi concessum erat pro studiis in una scientiâ tantum v. g. in jure Canonico, suffragatur indultario, ut etiam post susceptum in eadem scientiâ doctoratum, prosequi possit eadem studia, multo magis ubi illud concessum sub disjunctione, ut studere possit vel in jure Canon. vel Theologia, post susceptum doctoratum in jure continuare poterit studia Theologica. C. de Luca n. 8.*

Quæstio 410. An, & qualiter Canonici alique supradicti abesse possint ratione doctorationis aut lectionis, & percipere fructus & distributiones?

Respondeo: præter dicta superius, etsi supradicti ratione doctorationis vel lectionis excusentur à residentiâ, percipiuntque fructus suorum beneficiorum, ut constat ex dictis supra ex Garc. *n. 59. sintque insuper in duobus privilegiati, nimirum quoad licentiam, quia sine illa possunt abire, & quoad tempus, quia non arctantur ad quinquennium, ut item insinuat supra, traditque Paxjard. l. 10. tit. 40. n. 128. non tamen consequenter distributiones quotidianas, etiam pro horis, quibus docent, aut legunt, passim omnes percipere possunt, quod referri possunt declarationes S. Congregationis, quas recitat Garc. *n. 118. Nihilominus qui præbendam lectionis, S. Scripturæ vel Theologicæ habent, & vi illius legunt, vel docent, in propria Ecclesia (vel ut videtur esse par ratio, docent in Universitate, ad quam talis præbenda spectat) lucrantur distributiones, non solum pro horis, quibus legunt, concionantur vel docent, sed etiam pro tota die ex concessione & gratia Gregor. XIII. *loc. cit. n. 91. Garc. nu. 119. qui tamen n. 120. observat, non indiscriminatim illos omnes frui istâ gratiâ recipiendi distributiones omnium horarum totius diei, quo legunt, concionantur, vel docent, sed eos solum, qui gratiam illam specialiter petierint, & impetrarint, sicque se audivisse ab Auditore Cardinalis Matthæi præfetti S. Congregationis testatur. Quamvis in Concilio Compostellano *actioe 2. decreto 39. statutum dicat, ut lector Scripturæ sive ante, sive post meridiem lectionem habeat, omnibus horis ante meridianis pro interesse habeatur, modò missa prima, aut majori adsit. Ac denique n. 123. ex his infert, difficulter sustineri posse, consuetudinem seu statutum aliquarum Ecclesiarum, quod Canonicus seu præbendatus, qui Concionaturus est in ipsa Ecclesia, habeatur pro præsentem in omnibus horis & officiis per octo dies ante.****

Quæstio 411. An Canonici, alique supradicti causâ peregrinationis, maxime ex voto, possint abesse ultra tres menses à Concilio datos, & lucrari interim fructus & distributiones?

Respondeo: tales neque fructus, neque distributiones lucrari, non enim ista est ex causis in jure expressis, vide dicta superius hoc in puncto de curatis; ex quibus infert Garc. *num. 395. statuta alicujus Ecclesiæ, vel consuetudinem contrariam statuentia non posse defendi, dictamque consuetudinem non esse rationabilem.*

Quæstio